



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. An assensus conclusionis necessario tangat obiectum præmissarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

N. Smigletius disp. 13. quæst. 2. Probat facile iudicium quo intellectus dicit, *hoc inferitur ex illo*, est iudicium de illatione tanquam de obiecto: ergo non est formalis illatio de qua fertur iudicium, aliud enim est inferre vnum ex alio, aliud iudicare vnum ex alio inferri, hoc enim sine discursu potest fieri, possum enim actu fidei humanæ, vel diuinæ credere hoc obiectum ex illo inferri illud verò essentialiter dicit actum discurrendi. Similiter aliud est dicere, illud est idem cum isto, quæ ex vi illius illud iudicare, exempli gratia aliud est ex vi harum præmissarum, *Omnis homo est rationalis, Omne visibile est homo*, assentiri obiecto huius propositionis: *ergo omne visibile est rationale*, quod necessarium fit per discursum, aliud verò dicere obiectum harum præmissarum, *Omnis homo est rationalis: Omne visibile est homo est idem cum obiecto huius conclusionis: ergo omne visibile est rationale*, quod sine discursu per iudicium fidei humanæ, vel diuinæ, diuinæ vel humanæ reuelatione intercedente poterit affirmari. Confirmatur: secundum hanc sententiam tantum requiritur ad discursum, quod assensus conclusionis attingat obiectum præmissarum tanquam rationem formalem assentiendi obiecto illato. Sed hoc potest fieri, quin intellectus enunciatiue dicat obiectum præmissarum est idem cum obiecto conclusionis, seu obiectum conclusionis inferretur ex obiecto præmissarum: ergo conclusio non imbibit in se formaliter, neque aliquo modo prærequirit iudicium enuncians illationem, seu identitatem obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis. Ex his inferes adhuc in hac sententia non prærequiri ad assensum conclusionis apprehensionem de illatione obiectiua, cum in illam formaliter, & enunciatiue non feratur conclusio assensus.

Dixi assensum conclusionis non ferri enunciatiue in illationem, seu identitatem obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, quia ut bene P. Smigletius supra & Hurtadus §. 47. & Arriag. n. 15. intellectus per assensum conclusionis in actu exercito nescit illationem obiecti conclusionis ex obiecto præmissarum, & identitatem vtriusque, quia conclusioni assentitur propter præmissas, & de obiecto conclusionis iudicat, ex præmissarum iudicio, quod est se gerere cum obiecto conclusionis tanquam cum aliquo identificato cum obiecto præmissarum, in quo intellectus nullam cognoscit distinctionem, & ita quasi virtualiter affirmans, seu supponens esse idem inferit in conclusione identificari inter se extremitates, quas vidit in præmissis identificatas vni tertio.

Obiicies primò: Assensus conclusionis fertur in suum obiectum propter obiectum præmissarum: ergo necessaria est saltem apprehensiva cognitio de connexion obiecti præmissarum, cum obiecto conclusionis. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia illius tantum prærequiritur cognitio ad assensum conclusionis, quod est motuum formale huius, seu propter quod assentitur obiecto conclusionis, cum verò tantum propter obiectum præmissarum assentitur conclusioni tantum prærequiritur cognitio de obiecto præmissarum, quam habemus in ipsis præmissis formalibus. Instabis non solum assentiri conclusioni propter obiectum præmissarum, sed propter identitatem obiecti præmissarum cum conclusionis obiecto, & propter illationem huius ex illo; ergo non solum prærequiritur cognitio obiecti præmissarum, sed identitatis obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, & illationis huius ex illo. Respondeo intellectum tantum ferri in obiectum conclusionis, seu extremitatum inter se, propter identitatem earundem cum medio, & ideo huius tantum identitatis cognitionem prærequiri tanquam obiectum formale motuum, ex quo inferitur formalis conclusio, ex vi cuius intellectus enunciat identitatem extremitatum inter se, & in actu exercito inferit obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum, & virtualiter affirmat esse idem, ut dicebam n. 7.

Obiicies secundò: Cognitis eisdem præmissis vnus assentitur conclusioni, & alter non assentitur ergo ex eo est quod vnus cognoscit illationem, & alter illam non cognoscit. Peto à te cur cognitis eisdem præmissis vnus cognoscit illationem illarum cum conclusione, & alter illam non cognoscit? Dices quia vnus perfectius altero præmissas agnoscit. Ex hoc ergo capite affirmo ego procedere cognititis eisdem præmissis hanc conclusionem inferre, & non alterum, seculum in vtroque illationis cognitione.

Obiicies tertio: Voci *ergo* respondet in intellectu aliqua cognitio, non cognitio representans consequens illatum

secundum se, quia hoc per reliquas voces significatur, ergo cognitio representans illationem. Respondeo vocem *ergo* non significare aliquid se tenens ex parte obiecti distinctum à consequenti, sed denotare hoc vtrumque cognosci; sed cognosci ex vi præmissarum, itaque hæc complexa homo est rationalis, & Ergo homo est rationalis, ex eo differunt, quod primum ponitur loco cognitionis vtrumque representantis suum obiectum, & secundum ponitur loco cognitionis illud representantis, seu attingentis ex vi præmissarum.

Obiicies quartò Aristotelem dicentem scientiam esse cognitionem rei per causam, & quod illius sit causa, & quod aliter se habere non possit ergo Aristoteles præter cognitionem præmissarum requirit ad assensum conclusionis præcognitionem, quod præmissæ sint causa illatiua conclusionis, quod significat per illa verba, & quod illius sit causa. Respondeo cum Hurtado supra §. 4. non significare cognitionem illationis, sed solum euidenciam cognitionis scientiæ deductæ ex cognitione euidenti causæ.

PUNCTVM III.

An assensus conclusionis necessariò tangat obiectum præmissarum.

QVæstio hæc valde coincidit cum alia, quam exagito Controv. 11. de anima Punct. 2. an videlicet electio intrinsecè per se ipsam tangat motuum intentionis, seu bonitatem finis. Licet enim nonnulla possit esse disparitas, ratione cuius possit defendi electionem non attingere bonitatem finis, etiam si conclusio debeat attingere obiectum præmissarum, quæ peti possit ex libertate voluntatis, & necessitate intellectus, vel è contra possit defendi electionem necessariò debere attingere bonitatem finis, quia medium ut tale non habet sufficientem bonitatem ad terminandum electionis actum, & conclusionis assensum non debere ferri in obiectum conclusionis, quia obiectum conclusionis ex se sufficientem veritatem habet ad terminandum conclusionis actum, nihilominus præcipua ratio, quæ probatur assensum conclusionis debere attingere obiectum præmissarum, quam expendam communis est vtrique quæstioni, eadem enim probatur electionis actum debere attingere intentionis obiectum, aliisque quam plura argumenta eodem modo in vtraque quæstione procedunt, eisdemque principiis veraciter est definienda. Breuiter quæstionem hanc hic definiam, & latius alteram de electione respectu intentionis tractabo loco citato, cum iam altiora principia tradiderim ad quæstiones percipiendas, ideo si plenior huius materiæ notitiam desideres, adito locum citatum vbi principia, quibus vtraque quæstio, & alia similes sunt exagitantur latius expendo.

Duplici modo potest attingi obiectum præmissarum assensui conclusionis. Primò tantum ut *quo* seu tanquam puram rationem assentiendi, quin ex vi illius actus ipsi obiecto formali assentiantur. Secundò potest attingi non solum ut *quo*, sed etiam ut *quod*, ita ut non solum sit ratio assentiendi, verum etiam de illo feratur assensus, & aliquid enuncietur ex vi talis actus. Modum attingendi ut *quod*, vocatur S. Thomas 1.2. quæst. 8. art. 3. in corp. & quæst. 12. art. 4. Capreol. in 1. dist. 1. quæst. 1. attingi absolute & secundum se. Otham & Gabriel. quæst. 8. Prologi, P. Fonseca 6. Metaph. c. 1. art. 7. disp. 1. conc. 2. & 3. attingi ut obiectum mouens. Communis tamen loquendi modus hos duos modos attingendi idem obiectum explicat per hoc, quod est attingi ut *quod*, & ut *quæstio* loquuntur Conimbr. lib. 1. Post. cap. 1. quæst. 2. art. 5. Difficultas, quam hic exagitant Doctores, est, An assensus conclusionis respiciat obiectum præmissarum ut obiectum *quo*, seu ut rationem formalem assentiendi, quod sufficit ut præmissarum obiectum speciem tribuat assensui conclusionis, & ut conclusio dicatur à præmissis dependens, & ab illis differat per aliquid intrinsecum. An verò eo ipso quod præmissarum obiectum, & quodcumque aliud respectu aliorum actuum intellectus, & voluntatis attingatur ut *quo* debeat attingi ut *quod*, ad præsentem quæstionem non spectat, & non facile poterit definiri. Dicam quid sentiam Controverf. 10. de anima Punct. 2. ad finem, & in præsentem cum omnibus Philosophis tantum disputabo, an assensus conclusionis attingat præmissa

præmissarum obiectum ut obiectum quo formale, specificationem.

3 Assensum conclusionis non attingere obiectum præmissarum docuerunt apud P. Rubium infra dandum moderni quidam, quos moderniores alij modo sequuntur, qui pro se referunt N. Molinam, & PP. Conimbr. decipiuntur tamen, quia hi Doctores tantum negant assensum conclusionis ferri in obiectum præmissarum ut in obiectum quod, & affirmant illud attingere ut obiectum quo, ut legenti fiet manifestum. Noui alij affirmant assensum conclusionis posse attingere intrinsecè per seipsum obiectum præmissarum ut obiectum quo, & non posse illud nomen intrinsecè attingere, sed tantum extrinsecè.

4 Communis, & ferè omnium doctorum sententia affirmat assensum conclusionis attingere obiectum præmissarum intrinsecè, & per se ipsum. Ita S. Thom. Capreol. Conimbr. & P. Fonseca num. 2. citati, P. Salas 1.2. quæst. 8. & 4. disp. sect. 6. P. Rub. lib. 1. Posterior. quæst. 6. n. 54. P. Arriag. disp. 15. sect. 5. & alij antiqui apud Patrem Rubium, quibus omnibus libens assentior.

5 Sit prima conclusionis ratio. Præmissæ sunt causæ conclusionis formalis, & naturæ priores conclusionis: ergo antequam intellectus eliciat conclusionem supponuntur præmissæ, & ex vi illarum applicatur obiectum præmissarum, quod negari nequit. Deinde obiectum præmissarum est motuum sufficiens, ut ex vi illius intellectus eliciat conclusionem: ergo intellectus cum potentia sit necessaria ex illo motuo conclusionem eliciet, non enim potest cohiberi proposito sufficienti motuo ad assensum, ne in illud feratur, sicuti proposita albedine non potest potentia visiva non elicere visionis actum. Dices propositis præmissis probabilibus, & non euidensibus posse voluntatem imperare intellectui, ne ex vi illarum eliciat assensum conclusionis, quia præmissæ tantum probabiles non determinant necessariò intellectum ad assentiendum conclusioni. Habemus secundum hunc respondendi modum in syllogismo euidenti assensum conclusionis necessariò referri in obiectum præmissarum, iam idem contingere in syllogismo probabili sic ostendo. Non minus euidenter sequitur ex præmissis probabilibus probabilis conclusio, quam ex præmissis euidensibus conclusio euidens: ergo sicuti præmissæ euidentes cogunt intellectum ad assensum euidens conclusionis, sic præmissæ probabiles cogunt intellectum independenter ab omni imperio voluntatis ad assensum probabilem conclusionis. Antecedens est certum, quia illatio sequitur ratione formæ, & dispositionis terminorum, forma autem terminorumque dispositio eadem omnino est in syllogismo probabili, & euidenti, quapropter semel præstito assensu præmissis probabilibus aequè determinatus manet intellectus ad assensum probabilem conclusionis, ac est determinatus ad assensum euidens conclusionis postquam præmissis euidensibus assensus est. Ea enim tantum est differentia in discursu probabili, & in euidenti, quod præmissæ probabiles discursus probabilis non cogunt intellectum independenter à voluntate ad illarum assensum, ac proinde potest voluntas intellectui imperare, ne illis præstet assensum, quo non præstito ad assensum conclusionis non perueniet; præmissæ verò euidentes independenter ab imperio voluntatis intellectum ad ipsarum determinat assensum, & ita si semel proponantur, intellectus non poterit illis non assentiri. Insuper differunt ex eo quod conclusio deducta ex præmissis probabilibus probabilis est, & illa quæ inferitur ex euidensibus est euidens. Conueniunt autem in hoc quod semel præstito assensu præmissarum probabili, aut euidensium libero, vel necessario intellectum esse determinatum independenter ab imperio voluntatis ad assentiendum conclusioni probabili vel euidenti iuxta principiorum naturam.

6 Alij respondent posse intellectum distrahi ad alia obiecta, & ex defectu attentionis non elicere conclusionem propter motuum propositum præmissarum, sed propter veritatem, quam in se habet conclusio capacem terminandi per se ipsam assensum conclusionis. Admittit hic dicendi modus per se loquendo assensum conclusionis attingere præmissarum obiectum, & non nisi per accidens ex animi distractione oppositum contingere. Videamus an res ita se habere possit. Posse ex distractione animi propositis præmissis non elici conclusionis assensum expe-

rientia compertum est, tantum est difficultas an possit elici, & non ex motuo per præmissas propositas, hoc est, an ex suppositione, quod eliciatur, debeat ferri in præmissarum obiectum. Consequens inferendum posse secundum se independenter ab obiecto præmissarum virtutem habere terminandi assensum non ego negabo, sæpe enim inferimus illa, quæ sine illatione in se ipsis possemus cognoscere. Difficultas est an intellectus possit simul distrahi, ita ut ratione distractionis non eliciat assensum conclusionis ex motuo, quod præmissæ proponunt, & habere sufficientem attentionem ad eliciendum conclusionis assensum propter veritatem quam in se includit consequens: Sed demus de facto ita contingere, tunc dicam assensum illum consequentis non esse conclusionem, neque produci dependenter à præmissis, neque has aliquo modo in illum influere, quia præmissæ tantum influunt in conclusionem proponendo motuum, in quod tanquam in formale obiectum feratur conclusio, quod probabit ratio quam pro hac conclusione iam expendo.

7 Secunda conclusionis ratio esto: Aliqua debet assignari ratio, propter quam ex tribus assensibus, qui in discursu reperiuntur, duobus habeant rationem præmissarum, & alius rationem conclusionis. Sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum, tanquam in formale motuum, & assensus præmissarum nullo modo attingit conclusionis obiectum: ergo assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum. Minorem probō: vnius assensus non dependet ab alio in genere causæ efficientis, ut fert communis sententia, quia nullus actus vitalis intentionalis physice in alium influit, sed tantum directiue, sicuti concurrat actus Logice ad sciendi instrumenta consocienda ut dixi Contr. 2. Punct. 6. & cognitio ad volitionem ut dicam Controu. 8. de Anima Punct. 2. & intentio ad electionem quando realiter ab illa distinguitur ut tradam Controu. 11. de Anima Punct. 6. ergo non potest ex alio capite à præmissis dependere conclusio, nisi quia hæc fertur in illarum obiectum tanquam in formale motuum.

8 Dices assensum præmissarum esse illuminationem ad assensum conclusionis, & conclusionis assensum intellectum non illuminari ad assentiendum præmissis. Sed inquirō, cur assensus ille, quem tu conclusionis vocas non sit illuminatio ad alterum illorum, quos tu præmissas appellas. Si dicas quia obiectum conclusionis pendet ab obiecto præmissarum, & præmissarum obiectum non dependet à conclusionis obiecto: Exempli gratia, cum ego dico, sol est: ergo dies est, iudicium de existentia solis est illuminatio ad iudicium de existentia diei, quia existentia diei dependet ab existentia solis, & iudicium de existentia diei non est illuminatio ad iudicium de existentia solis, quia hæc existentia ab illa non dependet.

9 Contra hoc est, quia quando ego arguo à posteriori *Dies est: ergo est sol*, iudicium de existentia diei se habet per modum præmissæ & illuminantis, & iudicium de existentia solis per modum conclusionis, & illuminati, seu obiecti ad quod intellectus illuminatur: ergo illuminatio non consistit in dependentia obiectorum inter se, quia hæc sunt indifferentia ut inter se habeant munus illuminati, aut illuminantis. Denique in omnibus reatiuis aequè arguitur ex hoc extremo ad illud, & ex illo ad istud: v.g. aequè conclusionem infero si dicam, *est Pater: ergo est Filius; est Filius, ergo est Pater.* Rursus in syllogismo expository, aequè potest inferri obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum, ac obiectum præmissarum ex obiecto conclusionis, possum enim arguere: *Petrus est primogenitus Joannis: hic homo est Petrus: ergo hic homo est primogenitus Joannis*; eodemque modo possem inferre *Petrus est primogenitus Joannis: hic homo est Petrus: ergo hic homo est primogenitus Joannis.*

10 Respondent alij recentiores ex assensibus qui mutuò se possunt inferre illum dici conclusionem, & actu illarum qui deficiente alio deficeret, & illum se tenere ex parte præmissarum, & esse illuminationem ad alterum, qui nõ deficeret altero deficiente. Hunc influendi modum assignat P. Ripalda in actu imperante respectu imperati, quæ ego refero, & per otii reflexo, efficacissimè ni fallor, Contr. 3. de anima Punct. 4. & 4. & vide si placeat quæ contra hunc influxum in obiecto conditionato constitutum, vel per obiectum conditionatū explicatū loco citato latè expendo, quæ omnia in hac materia eodem

eodem prout modo procedunt. Mitto alias rationes, quibus hæc conclusio solet probari, quia hæc, quam modò expendi, omnium est efficacissima, & rem totam euincere mihi persuadeo.

11 Obiicies primò. Obiectum conclusionis habet ex se independentem ab obiecto præmissarum sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus: ergo necessarium non est, quod obiectum præmissarum attingatur per assensum conclusionis. Respondeo obiectum conclusionis habere ex se sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus purè iudicium, sicuti est actus quilibet præmissarum, non verò ad terminandum actum discursuum, seu conclusionis, qui in re sit conclusio, & à præmissis dependeat. Adde quod etiam si virtutem haberet ex se ad terminandum talem actum, eo ipso quod præmissarum obiectum esset applicatum non illum terminaret sine præmissarum obiecto, quod etiam virtutem haberet ad terminandum actum conclusionis tanquam formale motuum, quia quando iunguntur duæ causæ necessariae, quarum quilibet ex se potest effectum producere, effectus non ab altera tantum, sed ab utraque indissolubiler procedit attenuato utriusque causæ concursu.

12 Obiicies secundò. In conclusione non repetuntur præmissæ: ergo actus conclusionis non terminatur ad illas. Antecedens probatur ex eo, quod si præmissæ repeterentur, cum dicimus *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, totum hoc obiectum importaret conclusio *Petrus est animal*, ex eo quod omnis homo est animal, & Petrus est homo. Respondeo in opinione illorum, qui asserunt non inferri necessariò ex vi actus attingi ut quod obiectum, quod attingitur ex vi actus attingi ut quod debet attingi, posse concedi primum antecedens, & negari consequentiam, quia ad hoc ut præmissæ repeterentur in conclusione deberent attingi ut quod, sicuti in præmissis attinguntur, cum verò tantum attingantur, ut quod, repeteri dici non poterunt. In sententia, quæ asserit obiectum præmissarum debere attingi ut quod assensu conclusionis, eo præcisè, quod attingatur ut quod, inconueniens non erit asserere præmissas repeteri in conclusione, & hanc includere totum illud obiectum, quod intendit obiectio. Quod si vocalis conclusio illud non exprimat, ideo est, quia particula *ergo* substituitur loco illius, quod non exprimitur.

13 Instabis: si obiectum præmissarum reperitur in conclusione, & ex vi huius interius nunciatur totum id, quod præmissæ repræsentant, rectè poterit stare conclusio sine præmissis, & hæc superflue ponentur iterum in conclusione repetendæ. Respondeo præmissas prærequiri ut applicent obiectum formale motuum ad assentiendum obiecto conclusionis, cui ex illo motu non posset intellectus assentiri, si motuum non præcessisset applicatum. Replicabis: intellectus assentitur præmissarum obiecto, & elicit formales præmissas absque eo quod per alias obiectum formale motuum supponatur applicatum: ergo similiter poterit assentiri obiecto conclusionis propter obiectum illud ad quod terminantur præmissæ, absque eo quod ex vi harum supponatur applicatum tale obiectum. Confirmatur: electio potest fieri in medium propter finem ex vi actus, quo ametur medium, & primò ametur finis, absque eo quod supponatur amatus per intentionem ab electione distinctam, ut probabo Controv. 10. de anima. Punct. 3. ergo conclusio poterit ferri in suum obiectum, & in aliud obiectum formale motuum, quod dicitur præmissarum obiectum, absque eo quod hoc antecederet supponatur applicatum per præmissas, & absque eo quod aliqua præmissa præcesserit. Respondeo intellectum posse assentiri obiecto præmissarum propter ipsum absque alio præexistente iudicio, ex vi cuius applicetur tale motuum, non verò posse assentire obiecto conclusionis propter præmissarum obiectum absque eo, quod præcesserint præmissæ ex vi quarum applicetur tale obiectum, quia facilius est assentire præmissarum propter se ipsum, quam assentire obiecto conclusionis propter præmissarum obiectum, & ita facilius actus non supponit applicationem obiecti motui factam per iudicium, quam supponit actus alius difficilius. Ad confirmationem respondeo electionem identi-

ficatam cum intentione, ex vi cuius medium, & finis primo efficaciter amantur, supponere iudicium, ex vi cuius applicatur utrumque obiectum, cognitionem verò ex vi cuius attingeretur obiectum conclusionis propter obiectum præmissarum, absque eo quod hæc præcesserint, non posse in illo casu supponere suum obiectum formale motuum applicatum per iudicium, sicuti illud supponit electio identificata cum intentione. Ob quam rationem disparitatis potest dari electionis actus, ex vi cuius primò ametur finis, & non potest dari actus conclusionis ex vi cuius primo assentitur præmissarum obiecto.

14 Obiicies tertio: Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, non posset ex falso sequi verum, quod est falsum, est enim dogma Summulisticum, ex vero semper sequi verum, & ex falso aliquando sequi verum, aliquando falsum. Antecedens probatur: quoriscumque præmissæ falsæ sint, illarumque obiectum non existat assensus conclusionis attingens præmissarum obiectum attinget obiectum non existens: ergo erit falsus: ergo nunquam ex falsis præmissis sequitur verus conclusio assensus. Concedit Ariaga hanc ultimam consequentiam, & asserit dogma illud Summulisticum intelligendum esse tantum de conclusione vocali, per quam non attingitur præmissarum obiectum. Non omnino acquiesco, quia conclusio vocalis substituitur loco mentalis, seu intentionalis, & respondet conceptui interno, in quo formalis conclusio consistit tanquam illius vicaria: ergo respicit idem obiectum: ergo si conclusio mentalis falsa est, falsa erit vocalis conclusio. Respondeo posse dici ex falso verum inferri, quia id, quod inferitur per legitimam consequentiam à parte rei existit sicuti inferitur, licet enim quando præmissæ falsæ sunt, sit falsus conclusio assensus, non ideo falsus redditur, quia non existat obiectum in quod inferitur, hoc enim ex se non falsificaret conclusionem: si hæc non falsa redderetur ratione obiecti præmissarum. Adde iuxta illos, qui asserant assensum conclusionis attingere obiectum præmissarum ut obiectum tantum formale quod, & non ut obiectum quod, assensum conclusionis ex præmissis falsis deductum absolute esse verum, quia veritas tantum desumitur ex conformatione actus cum obiecto quod & non cum obiecto quo.

15 Obiicies quartò: assensus conclusionis attingit obiectum præmissarum: ergo species quam relinquit hic actus est sui ipsius ut attingentis obiecta præmissarum: ergo quoriscumque recorder actus discursus, recorder illius ut attingentis obiecta præmissarum: ergo recorder etiam præmissarum, quod experientia monstrat esse falsum, quia comparatà notitiā alicuius obiecti per discursum pendente à præmissis, sæpe recorder illius nulla præmissarum mentione facta. Huic argumento tenemur omnes respondere, quia actus, quo ego amo medium propter finem: v. g. actus, quo volo deambulationem propter sanitatem, attingit, vel saltem potest attingere deambulationem, & sanitatem, & actus quo ego volo dare eleemosynam propter Deum, attingit ipsum Deum, & tamen sæpe recorder me voluisse deambulare, & me voluisse dare eleemosynam, quin recorder voluisse deambulare propter sanitatem, & voluisse dare eleemosynam propter Deum, & vniuersaliter sæpe recorder me voluisse hoc vel illud facere, & non recorder motuum, propter quæ talia volui facere, etsi actus, quorum recorder per se ipsos motiua respexerint: ergo eodem modo possum recorder assensus, quin recorder obiecti præmissarum quod fuit intrinsecum formale motuum talis actus. Ad argumentum respondeo negando consequentiam, quia non semper species propriæ repræsentant expressè omnem rationem intrinsecam sui obiecti, sed aliquando valde confusè propter earum imperfectionem, vel nimiam remissionem, vel prauam subiecti dispositionem, sicuti species coloris à longè visi sæpe non repræsentant expressè rationem individualement neque specificam, cum ex vi talis visionis non possit intellectus discernere an visus color sit viriditas, vel rubedo. Hæc confusio, seu indistinctio obiectorum per præcisionem ex parte actus debet intelligi, non per obiecti præcisionem, quam adhuc in abstractiua intellectione non admitto.